6
10-f
41

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
6 A
48

bliotheca
Coll. Rom.
ct. Jesu

22 - e - 49

22
e

HIERONYMI ARCONATI

è Soc. IESV

PROLUSIONES POSTHUMÆ

IN GRATIAM

ACADEMIÆ
Rhetorum Braydenſium
edita.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

MEDIOLANI,

Typis Ioſephi Pandulphi Malateſtæ. 1702. +
Superiorum permiſsu;
Et Priuilegio.

Digitized by Google

SPIRITUS FRANCISCUS ROSIGNOLIVS E SOCIETATE IESV,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Præpoſitus Prouincialis Prouinciæ Mediolanenſis.

CVm librum, cui titulus eſt *Proluſiones poſthumæ Hieronymi Arconati è Soc. Ieſu*, aliquot eiuſdem Societatis Theologi, quibus commiſſum fuit, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; facultate nobis à Patre noſtro Generali Thyrſo Gonzalez communicatâ, concedimus, vt typis mandetur, ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo Societatis noſtræ munitas dedimus. Genuæ 16. Martij 1702.

Spiritus Franciſcus Roſignolius.

IMPRIMATVR.

Fr. Angelus Maria Battianus Sac. Th. Magiſter, ac Vicarius Generalis Sancti Officij Mediol. &c.

Bartholomaus Craſſus Can. Ord. pro Eminentiſs. Card. Archiepiſcopo.

Angelus Maria Maddius pro Excellentiſs. Senatu.

RHETORVM BRAYDENSIVM ACADEMIÆ.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

HIERONYMI ARCONATI è Soc. IESU adoleſcentis innocentiſſimi acerba mors eos omnes, qui eius indolem planè auream, & mores ſuauiſſimos norant, improuiſo ictu adeò perculſit, vt quicquid eidem fuerat religioſæ ſupellectilis, id omne tum ab externis, tum à noſtris arreptum fuerit, quò iactura extincti iuuenis aliquatenus leniretur. Danda igitur inſuper fuerant eius amantiſſimis diſcipulis ingenij, quæ ſupererant, monumenta; proluſiones videlicet, quas habuit, cùm grammaticam & humaniores literas apud nos doceret, quas plurimi iteratis precibus poſtularunt. Has itaque habes, lector humaniſſime; ſed vtcunque & venuſtate ſtyli, & ſalibus, & poëticis imaginibus eas commendandas cenſueris; ij tamen, qui viuas quodammodò ex ipſius ore excepere, vbi iterum vocem dicentis, pronuntiandiq; gratiam ſibi præſentem reſtituerint, vbi animi illius in om-

nium animos illabentis memoriam excitauerint, longè venuſtiores profectò ſentient, & neſcio quâ præditas vitâ, quam cæteri fortaſſe non ita facilè experiantur. Nihil iccirco ex ijs demptum fuit. Reticentias nonnullas, & vocabula ſcholarum interdum barbara, facetè in carmen deducta, periodum aliquam pendentem, conſtructione etiam ſtudiosè impeditâ, nec non interdum verſus ex hemiſtichijs Virgilij, cuius erat ſtudioſiſſimus, datâ operâ concinnatos, atque alia huiuſmodi omnino intacta reliquimus. Siquidem iſta alumnis ipſius auditoribus, eorumque amori ac deſiderio potiſſimùm damus; qui, ſiquid fortè ab alijs deſideretur, oris & geſtûs bene memores, actione ipsâ in mentem reuocatâ, facilè ſupplebunt. Sed quota pars iſta ingenij huius præclariſſimi adoleſcentis? Nam, vt Philoſophiæ, diuinarumque ſcientiarum ſtudia omittam, erat ille in geometriâ apprime verſatus, atque vtriuſque analyticæ tum veteris, tum nouæ arcana ingreſſus, ad diſciplinas mathematicas natus videbatur. Nihil erat adeò abſtruſum, quod non ſagaciſſimè inueſtigaret; nihil tam vaſtum, ac diſſipatum, quod non illico in ſuas partes digereret,

atque in vnum contraheret ; & quidem tantâ facilitate, vt, veluti per otium, arduis & difficillimis facultatibus animum reficere videretur. Sed iſta quoque exigua & leuia , ſi cum ingenij dotibus integritatem morum, Chriſtianam animi demiſſionem, pietatem, modeſtiam, manſuetudinem, & quandam hilaritatem, natam ex innocentiâ, comparemus. Itaque vitam ab infantiâ vſque ad obitum innocentiſſimè exactam in ipſo ætatis flore mors occupauit ; mors tamen adeò læta , adeò tranquilla , vt decumbenti ingruerit placidiſſimi inſtar ſomni. Nec potuit vllâ nube ſerenam frontem infuſcare, nec riſum illum, indicem pacis, poſt obitum quoque in labris relictum, auſa fuit, vt ita dicam, lædere; vt nihil planè funereum, nihil lugubre in eo cadauere cerneretur. Quamobrem , quandiu expoſitum inter nos fuit, hilaritate illâ adhuc ſuperſtite, lacrymas omnium temperabat; nec ſeriò luctus viſus eſt incipere, niſi poſt tumulum.

Vobis itaque, Rhetores humaniſſimi, inſtitutoris veſtri vocem quodammodò in his paginis relictam, iterum audiendam exhibemus. Vos ille incredibili amore ac diligentiâ vniuerſos literis & pietate for-

mabat, labore, etiam per autumnales ferias, nunquam fere intermiſſo; neque vnquam loquentem audiuimus niſi de Deo, de rebus cœleſtibus, de literis, & de ſtudijs veſtris, in quibus viſus erat vnicè collocaſſe delicias ſuas. Scripta quoque ferè omnia ab eo relicta academias veſtras continent, oratiunculas panegyricas, elogia, atque epigrammata honorifica in laudem veſtram; nec non numerorum, architecturæ militaris, atque huiuſmodi artium elementa vobis tradenda, veluti quædam otia humanioris literaturæ: vſq; adeò præſtantiſſimum illud ingenium, nobis quodammodò ereptum, ad vos penitus tranſtuliſtis. Vos denique huius amantiſſimi inſtitutoris bene conſcij, lethalis morbi acerbiſſimo nuncio perculſi, quibus lacrymis, quibus precibus ac votis ſupplices ante altaria vitam efflagitaſtis! Quibus ille officijs deuinctus, paulò priùs quàm luctam cum morte aggrederetur, gratias vobis referri maximas, & veſtris precibus commendari ſupremis fere vocibus exorauit. Quamobrem monumenta iſta literaria, quæ iuris veſtri ſunt, vobis amantiſſimis, atque ipſi viciſſim adhuc cariſſimis, exhibita ac dedicata, æquo libentique animo excipite.

PRO-

PROLUSIO

HABITA

IN MEDIÆ GRAMMATICÆ CLASSE.

ANtequam, pro hâc, quæ mihi recens atque inſperatò obtigit, Grammatices ex Superiore loco tradendæ Prouinciâ, antequam, inquam, prima facultatis huiuſce rudimenta euoluere aggrediar, dabitis mihi hanc veniam, quotquot huc conueniſtis, Sapientiſſimi Patres, vt, traductâ iam nunc ad nouos diſcipulos proluſione meâ, pauca quædam ſtudijs, ac moribus inſtituendis conducentia eos in præſentiâ commoneam. Quod ſicui fortè parum opportunè grauiſſimam hanc concionem aduocaſſe videar, cùm mihi in animo ſit Adoleſcentulos vnicè alloqui; id à me eo etiam conſilio factum intelligat, vt nouo Præceptori apud nouos diſcipulos dicere incipienti auctoritatis aliquid hæc ſapientum virorum corona conciliet. Ne verò peruulgata iam, ac ſæpius audita recinendo, plus nimio quam par eſt, ve-

ſtrâ in me audiendo humanitate abutar, ſatiùs duxi poëticè atque allegoricè, vt minùs moleſtæ auribus accidant, res cæteroquin notiſſimas conueſtire. Allegoriam porrò è re nauticâ petam. Nimiùm enim multa ſunt, in quibus literarij ac maritimi curſus eadem prorſus eſt ratio. Quamobrem ſub allegoricis ventorum, procellarum, atque id genus nominibus, ea, de quibus diſcipulos iam nunc præmonitos velim, complectar. Adeſte igitur animis, Adoleſcentes. Quotquot ad hanc palæſtram hodie literis operam daturi acceſſiſtis, inſtructam nauim conſcendiſſe vos credite, in quâ ad ſapientiæ portum contendatis. Veſtris in libris hydrographicas tabulas, in hiſce ſcamnis tranſtra, ſi placet, agnoſcite. Bellicum hoc vexillum non adeò lacerum, ac diſſutum eſt, vt puppi præfigi non poſſit. Eia agite, quod vobis bene ac feliciter vertat, funem præcidite, vela tendite, remis incumbite. Sed antequam in immenſum hoc difficultatum pelagus progrediamini, ipſe interim, ſumptâ Nauarchi emeriti iam, ac rude donati perſonâ, ea, quæ in totâ hâc nauigatione vel ſeruanda, vel vitanda ſunt, præmonebo. Vos quæ hîc de nauticis rebus audietis, de literarijs ſtudijs dici intelligite.

Siſtite. Quis præceps iubet ardor carbaſa vētis
Tradere, & ignotos remis propellere fluctus?
Siſtite; parua mora eſt. Defunctū mille periclis,
Expertumque viæ, Iuuenes, audite Magiſtrum.
Mox maris edocti inſidias, ſcopuloſque latentes

Ibi-

Ibitis, & tuti vaſtum ſulcabitis æquor.
Principiò Cœlum, Cœloque errantia latè
Sydera ſolicitum iubeo prædiſcere Nautam,
Pleïades, pluuiaſque hyadas, geminoſq; Triones,
Arcturum, & crebris metuendũ Oriona nimbis.
Nulli adeò obſeruanda graui ſunt ſydera curâ,
Quàm quibus ignotas pelago perquirere terras
Fert animus, dubijſq; ratem committere ventis.
Ergo, priùs tumidũ remis quàm ſcindimus ęquor,
Nomine quamque ſuo, & certo dignoſcere vultu
Cura ſit, & proprios ſtellarum diſcere motus.
Qui Cœlo vigiles oculos, animumque tetendit,
Non illum aduerſo veniens Aquilone procella
Occupat, ignarumque viæ, & nil tale timentem.
Namq; vbi ab Eolijs Boreas erumpere clauſtris
Cogitet, & magno pelagus miſcere tumultu,
Cynthia ſanguineo vultum ſuffuſa rubore,
Aſtraq; per nebulas tremulam vibrantia lucem
Signa priùs manifeſta dabunt, queis rite notatis,
Inſtanti poteris puppim ſubducere nimbo.
Præcipuè ſtella eſt toto ſpectabilis axe
Celſior aſſurgens prope tardi plauſtra Bootæ.
Illa regit dubios omni in diſcrimine Nautas;
Illa docet quando remis impellere marmor
Conueniat, quando in portum deducere claſſes;
Tendere quò curſum velis, quo flectere proram.
Hæc nunquam impuris pelagi ſe proluit vndis:
Hanc Græci, hanc Latij ſeruãt de puppe Magiſtri.

Et licet indigni narretur fabula facti,
Hanc Iouis imperio poſitam ſuper aſtra puellam
Amiſsâ pretium pro virginitate tuliſſe;
Ne vos vera tamen deliria credite vatum.
Namq; hæc diuinæ nunc ſacra eſt ſtella Parenti,
Quæ Cæli conuexa ſuper mortalibus ægris
Optata affulget certæ Cynoſura ſalutis.
Sit vobis Dux illa viæ: namque, auſpice tanto
Sydere, nequidquam, magnum tollentibus auſtris
Ionium, ſæuæ bacchabitur ira procellæ.
Hoc primũ, hoc repetẽs iterũq;, iterũq; monebo:
Quiſquis inoffenſis vada ſcindere ſalſa carinis
Expetis, & dulci tandem conſiſtere portu,
Parthenidem aſſiduis ſupplex venerabere votis,
Parthenidem cæloque ſimul pelagoq; potentem.
Præſertim dubiũ nubes quando horrida ſolem
Condit, & incipiunt agitata tumeſcere ventis
Æquora, tum meritis cumulare altaria donis
Præſtiterit, poſitaſq, humilẽ procumbere ad aras.
Sæpe etiam medijs demerſo profuit vndis
Te prece, te lacrymis, bona Virgo, in vota vocaſſe.
Vidi equidem, qui nunquã auſus ſe credere põto,
Ni priùs ante aras, diuinæque ora Parentis
Imploraſſet opem, facileſque in carbaſa ventos.
Multùm adeò ratibus proſunt hæc vota, neq; illũ
Parthenis ex alto nequidquam ſpectat olympo.
Nec minùs interea mihi non laudatus abibis,
Florea qui ſolitus Diuæ contexere ſerta

Cin-

Cingis odoratis ſublimia tempora donis.
His ego felices quæcunque ad litora curſus
Polliceor, pelagi obſequiũ, zephyroſq; fauentes.
Nec ſeruare tamen ſtellas prohibebo minores:
Præcipuè clarum quæ traxit nomen ab igne,
Quæ Graijs Pyros, Auſonijs Ignatius audit.
Ille tibi, ſiquando vapor ſe tollat ad auras
Improbus, & placidũ Cynoſuræ ſydus inumbret,
Ille tibi monſtrabit iter, curſumque docebit;
Diſiectâ donec rurſum ſe nube, recludat
Sydus hyperboreum, primaque in luce coruſcet.
Nõ minor eſt vẽtis cura impẽdenda, neq; illos
Ignorare impune licet. Nam, carcere rupto,
Sæpe ruit Boreas, pelagoque incumbit aperto.
Ille procelloſo tumidus præcordia faſtu
Ocyùs auulſas humili de litore puppes
Diſijciet procul, & magno propellet in altum
Impete, prærupto vallans circum vndique ponto.
Tum verò immanes vndarum ad litora montes
Flamine torquet agẽs, volitatq; ꝑ ęquora victor:
Et modò iactatam ſuſtollit ad aſtra carinam,
Et modò, deductis in tartara deprimit vndis.
Heu ventis ne tu nimiùm confide ſecundis,
Neu te præcipitem ventoſa ſuperbia fallat.
Ah quoties vano nimiùm dum turgida faſtu
Vela animique tument, maioraq; viribus audent,
Ah quoties tenui nocuit tumor ille carinæ!
Et quamuis magnam, Boreâ impellente, videris

Con-

Confeciſſe viam, pelagoque volaſſe patenti,
Nunquã ego cæca tamen curſûs cõpendia,nũquã
Laudarim,tantis quãdo hæc ſunt empta periclis.
Quin, age, nauigijs tunc cùm violentior aura
Incidit, id metuens, humilem lege litoris oram;
Altum alij teneant; tu prudens contrahe vela.
Ni facis, & Boream mauis audire vocantem,
Heu miſer in quales pelagi te proijcis iras!
Nunc volat, excuſſo tua cymba ſoluta timore;
Mox erit hoc ipſum exitio, tumidiſq; ſub vndis
Naufraga mergetur, felici naufraga vento.
Tunc vaſto fruſtra cernes de gurgite portum,
Seraque per ſurdas iactabis vota procellas.
Nec tu litoribus fidis, me conſule, proram
Solueris, horrificis cùm videris eminus alis
Agglomerare Notum tetras caligine nubes.
Ille imbres,denſamq; polo rapit humidus auram,
Et trepidos nigro contriſtat turbine nautas.
Continuò ex oculis tenebroſa volumina ſolem
Eripiunt,mæſtamque cient ſuper æquora noctem.
Inde tibi triſtes pelagus denunciat iras,
Et fremit, & nigris ferale immurmurat vndis.
Heu! malè tum poterit recto producere curſu
Puppis iter; manibus nam tunc horrore remiſſis
Arma cadunt,tetraque iacens ſub nube Magiſter
Immemor aſtrorum cælo diffidit & arti.
Hæc tu triſtitiæ teterrima flamina longè
Effugito. Triſtes ſi cingunt æthera nimbi,

Non

Nõ tibi tunc prudens quiſquã perſuadeat auctor,
Vt tali ſperes portum contingere Cælo.
Scilicet, vt facili procedant carbaſa curſu,
In primis hilares animos, cœlique requiri
Lætitiam pelago experti docuere Magiſtri.
Nam tacitis mœror rodens præcordia curis
Submittitque animos, & inertia corpora vincit.
Hinc artus torpore graui conſtricta repentè
Nautica conſuetos non explet turba labores:
Multa gemit, cœptoque velit deſiſtere curſu.
Sed neq; quã multæ ſpecies, & quanta nocendi
Nomina ſint ſtygio laxatis carcere ventis,
Edocuiſſe vacat. Nunc, quæ mage noxia Nautis
Flamina, ſolicitum memori te condere mente
Sufficiat, triſtemq; Notum, Boreamq; tumentem.
Sit Zephyrus lenis, qui te comitetur euntem:
Tuta magis, quo lenta magis, per cærula puppis
Ibit, & optatos intrabit denique portus.
At non ventorum rabies, totumque profundo
Excitum pelagus mage torqueat anxia curis
Pectora, quàm placidi fallax pellacia ponti.
Væ tibi, ſi ventis quacunque ſilentibus, altum
Tranquillis Neptunus aquis diſtenderit æquor:
Duroque argento, ſolidoque ſimillima vitro
Litoribus placidè acclinis latè vnda quieſcat.
Tum medio immotam ſiſtunt maris otia pinum
Æquore; tum nullo ſinuantur carbaſa flatu.
Deiectæ cecidere manus, lentuſque per artus

Sudor ijt: piget aſſiduis inſiſtere remis.
Nec longũ in medio tempus, cùm protinus omnes
Enerues pereunt ignauo in corpore vires:
Et quæ ſufficeret multos annona per annos
Temporis exigui curſu conſumpta receſſit.
Otia ſæpe nocent plus quàm nocuere procellæ:
Et quos non Boreas, non terruit Auſter euntes,
Segnities deuincit iners, curſusque ſecundos
Abrumpit, magnis obſiſtens inuida cœptis.
Noui ego, præproperæ qui captus amore quietis,
Cùm ſummâ lætus iam iam de puppe propinquos
Cerneret, optatoſque diu ſe attollere portus;
Reſtitit, & feſsâ conſidit in æquore naui.
At non huic portus, non expectanda corona eſt,
Quem ſic exigui facies inopina laboris
Territat, & cœpto remouent mala tædia curſu.
Nil probo ſi præcox præuertat tempore votum,
Atque immaturam cupiat iam Nauta quietem,
Cùm dubijs incertus adhuc iactatur in vndis.
Scilicet & tempus veniet, quo blanda licebit
Otia, & exacti pretium cœpiſſe laboris:
Nunc animis opus, o Iuuenes, nunc pectore firmo;
Nunc clauum torquere iuuat, nunc tendere vela;
Nunc verſi in lento luctentur marmore remi.
Poſtquã autem tumidas ventorũ eluſerit iras
Puppis, & immoti ſuperauerit otia ponti;
Mox miſeros grauiora manẽt diſcrimina Nautas.
Aſſurgit pelago in medio pulcherrima viſu

Inſula, quam molles diſtinguunt vndique flores.
Delicijs, luxuque vacat. Pars acrior anni
Exulat; aſſiduo lætantur gramina vere.
Hanc circùm Sirenes agunt informia monſtra;
Quarum ſubiectis quæ pars ſupereminet vndis,
Ora, manuſque ambę, colliſaque pectora fluctu,
Fœmineam pulcrâ referunt ſub imagine formam.
At poſtrema latens pelago pars corporis atrum
Deſinit in piſcem, ſquamiſque rigentibus horret:
Pontum pone legit ſinuoſa volumine cauda.
Illæ, cùm primùm puppes ſenſere propinquas,
Ilicet arguto fundunt hos gutture cantus,
Queis vltrò feſſoſque viæ, cupidoſque quietis
Ad blanda alliciant incautos litora Nautas.
O Iuuenum manus immenſis defuncta periclis,
Huc ſuperûm ſtudio delati, huc vertite proras.
Hîc gemmis violiſque comas præcincta voluptas
Nectareos dextrâ latices venientibus offert:
Hîc pariter nullo conſtricta licentia nodo,
Gaudiaque, & faciles poſuere cubilia riſus.
Quin & libratis volitans per inania pennis,
Auratiſq; nitens pharetris gens mollis Amorũ
Felices læto peragrant modulamine terras,
Hoſpitibuſque nouâ mulcent dulcedine ſenſus.
Quid tenerum annorum ſinitis marceſcere florem
Oppreſſum curis? Non hoc ſibi talia tempus
Poſtulat. Adueniet triſti comitata ſenectus
Agmine morborum. Tunc veſtram ſeria mentem

Curarũ tunc turba premat. Nunc, proſpera quãdo
His fortuna rates felicibus appulit oris;
Hîc vobis hîc parta quies. Subducite puppes,
Nec venienti vltro præcludite pectora ſorti.
Tali Sirenum reſonabunt agmina cantu.
At non vos faciles præbete canentibus aures:
Vertite vela citi, ventoſque rogate ſecundos.
Ante & nauifragis præſtat concurrere ſaxis,
Et cæcam Libycis impingere ſyrtibus alnum,
Quàm ſemel inſidas Sirenum inuiſere terras.
Namque vbi veſano blandæ telluris amore
Egreſſi aprico ſternuntur litore Nautæ,
Heu miſeri! obſcœnis pereũt data pabula mõſtris.
Tum verò poſtquam inſidias euaſerit omnes
Veſtra ratis, tuto excipiet Sapientia portu,
Anchoraque optatas felix mordebit arenas.
Nunc moniti, nũc ite, alacreſq; incũbite remis.

PRO-

PROLUSIO

DE POENA PVERILI IN SVPREMA GRAMMATICÆ CLASSE HABITA.

[library stamp]

TAndem aliquando, quod votis omnibus iamdiu expetiueram, tempus illud aduenit, quo intermiſſam per autumnales ferias, docendi prouinciam repetere liceat. Proinde dabitis mihi hanc veniam, humaniſſimi PP., vt antequam prælectioni exordium ponam, gratuler mihi quodammodo ſortem meam, & diuturnam ab hiſce lyceis abſentiam, hodiernæ celebritatis cogitatione conſoler. Iuuat enim circunfuſam hanc mihi adoleſcentum coronam intueri. Iuuat ex eâ alacritate, quam ipſo ore atque oculis præſeferunt, certam futuræ ſolertiæ ſpem percipere. Hac ego tam propensâ animi voluntate ad exercitationes noſtras reuertens, benemeritum me de ſapientiâ exiſtimaram. At quàm diſparem illa mihi gratiam refert? Vix ad eius vexilla redeo, & iam literarium vectigal, niſi ſponte perſoluerim, ex-

exprimet ab inuito. Præfari volentem iubet, non antea me ex hoc loco dimiſſura quàm impoſito oneri ſatisfecerim. Rem planè difficilem, ſi clam exigat, longè verò difficillimam, ſi palàm. Quòd ſi apud adoleſcentulos tantùm meos dicerem, occurrerent plurima quæ eos in præſentiâ præmonitos vellem. Vos verò, Sapientiſſimi PP. quid à me hodie veſtrâ dignum ſapientiâ expectetis? Nihil. Quid itaque? Puerilia audietis. Nempe? Nempe de pœnâ puerili. De pœnâ puerili? Ita planè. Quid hoc argumenti? Scilicet melius nihil ſuppetit: Scilicet ita lubitum eſt. An ab omnibus dicendi cauſam exquiritis? Atque vos, pueri, frontem ne contrahite. Iniquus vobis, ferox non euaſi. Hoc vnum aio, pueriliter vos, cùm pueri ſitis, puniendos eſſe.

Neceſſarias quidem puerili inſtitutioni pœnas eſſe aliquas, nemo, qui rem paulò attentiùs introſpiciat, in dubium vocauerit. Dolore quippe, & voluptate aguntur præ cæteris pueri, eorumque gratiâ ferme omnia faciunt, nempe vt ne doleant, ſed vt lætentur. Cætera, quæ ad literarum amorem ſapientum animos impellunt, incitamenta, fruſtra pueris proponas, niſi eos, vel munuſculis allicias, vel pœnis excites. Vtriſque proinde vtendum opportunè. Sæpius tamen fit, vt quod ab adoleſcente præmij ſpes non impetrat, id pœnæ metus extorqueat. Ita enim naturâ comparatum videmus, vt hominum animos, nedum puerorum, nulla res magis, quàm metus, in officio contineat.

Iam

Iam verò, cùm plurima ſint punitionum genera; verbera, dedecora, obiurgationes, minæ; quænam potiſſimùm ſeligenda, quænam vitanda, non facilè dixerim. Quintilianus, optimus ille dicendi æquè ac docendi magiſter, cædi diſcentes, quanquam receptum in ſcholis morem fateatur, minimè vellet; primùm, inquit, quia id deforme ac ſeruile eſt; deinde, ſicui tam eſt mens illiberalis, vt obiurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, vt peſſima quæque mancipia, durabitur. Poſtremò, ne opus quidem erit hâc caſtigatione, ſi aſſiduus ſtudiorum exactor adſtiterit. Sæpe enim ſic præceptoris negligentiam emendari videmus, vt pueri, non facere quæ recta ſunt cogantur, ſed quòd non fecerint, puniantur. Hæc Quintilianus, qui acerrimè hunc morem cædendi pueros oppugnans, triſtes ferulas ſceptra pædagogorum, vt ait Martialis, illis conatus eſt extorquere de manibus. Irrito tamen conatu. Huic enim in ſpeciem graui, prudentique ratiocinationi, omnium gentium conſuetudo reclamat. Magiſter ſiquidem pueritiæ vnus dolor eſt, cùm ratio eſſe nequeat.

Sic, vbi nolentem ſaltu exercere catellum
Ludius aggreditur, fruſtra poppyſmate mulcet:
Elatâ inſiſtit virgâ, digitoque minaci.
Sæpe vngues cædit, tremulo ſi corpore cedat,
Cunctanteſq; pedes ponat. Tandem ille monentis
Imperium ſequitur dextræ, ramoque docente,
Inuitâ diſcit naturâ, incedere rectus.
Tunc fruſtum exeſæ cereris, tunc præmia ſperet:

Ca-

BIBLIOT. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Catelli, vos etiam, parcite, eſtis pueri, vos etiam ſcuticâ edocendi. Quare neque prorſus hoc pœnarum genus de medio tollendum, cenſeo, neque tamen ſine modo, ac menſurâ adhibendum. Nam ſi nimia huiuſmodi ſeueritas ſit, pueris, quemadmodum teneris ſtirpibus, nimia ſiccitas nocebit, non proderit. Adde quod ſi verberibus quis obdureſcat, quonam deinceps ſtimulo excitetur? Moderatè itaque, ac nonniſi iuſtis de cauſis ferulâ vtendum. Vtendum tamen, ſi res exigat. Si quid leuiùs peccarit puer, vel diſſimulare malim, vel blandè emendare. Obiurgationibus certè, ſi eas non irato animo effundas, ſed aliquâ potiùs laudatione permiſceas, plus profectum iri apud adoleſcentes putarem, quàm ſi aut aſſiduis verberibus, aut turpi aliquâ ignominiæ notâ affectos dimittas. Dedecora quippe, non ſecus ac verbera, ſi modum excedant, ingenuos animos, ſeruiles infractoſque efficiunt. Quid enim excelſi moliatur exſibilatus adoleſcens? Si magnanimæ indolis ille ſit, tam turpiter ſecum agi nunquam ferat, & ignominiâ peruicax fiet, qui gloriæ ſtimulis erigeretur. Si duro ingenio, ſi humili ſorte ſit, dedecus haud ſentiat, & ingenitæ ſordes placeant. Voce alij & minis pueros diſſipant. Verùm aures tantùm vellicat ſonus ille, corium non cædit. Ad ingenium redibit quiſque, vbi vim verbis deeſſe ſentiet. Vt rem breui expediam, vno verbo proponam quid vniuersè de hâc puniendi ratione ſtatuendum putem. Ego enim ſic cen-

ſeo,

ſeo, eam opportuniſſimam ad pueriles animos continendos pœnam fore, cui & minimum doloris, & plurimum terroris inſit. Hoc vt confirmem, ſatis & mihi, & vobis feciſſe credam, ſi hanc pueros plectendi rationem Sapientiſſimi, ac Sanctiſſimi viri auctoritate comprobatam oſtendero. Hîc à me veſtrûm nonnulli Diuum Ignatium ſocietatis noſtræ parentem in exemplum adduci, vt video, expectatis. Ita planè adducam. Quomodo is puerilem culpam puerili terriculo aliquando punierit, noſtis quidem, ſed tamen lubeat adhuc ſemel ex me audire. Et ſanè:

Quàm non parua fuit paruo ſapientia facto,
Cùm puerum ſubitâ permotum Ignatius irâ
Edocuit rabidæ frænos imponere linguæ!
Fortè hilares inter ludos exorta repentè
Rixa inflammarat geminos in vana ſodales:
Iurgia; iamque acres animis diſcordibus iræ
Exarſere, minas, conuiciaque inſuper addunt.
Tum puer, accenſos cui pectoris acrior æſtus
Intus agit rabies, mentemque ferociùs vrget;
Voce animiſque tumens, elatoque ore ſodalem
Increpitans, oneranſque probris, riſuque ſuperbo
Deſpiciens, nimias amens proceſſit in iras.
Namq; truci infandā rumpens de pectore vocem:
At tibi cancer, ait, nares, mala bellua cancer,
Exedat, & lentis populetur morſibus ora.
Verba ex incauto dilapſa Ignatius ore
Audijt, & culpa pœnam non abſore paſſus,

Inc-

Ingentem cancrum, nigranti corpore, longas
Iactantem chelas, & lumine torua tuentem
Arripit. Hunc facili ſed poſtquam linea nodo
Tænia deuinxit, ſecretâ in parte reponit.
Tum puerũ vocat, & patriã compoſtus ad iram:
Tune, inquit, ſocius ſocio nil tale merenti,
Improbe, ſæue puer, potuiſti immittere cancrum?
Quis te adeò immites effundere pectore diras
Edocuit? tantæne animis puerilibus iræ?
Neſcis, ah demens, neſcis, quàm triſte periclum,
Quàm ferale malum, quæ ſis portenta precatus:
Experiere prior. Dixit, nec plura locutus,
Eduxit tremulo pendentem ſtamine cancrum.
Vt vidit puer horrendi nigra brachia monſtri,
Et ferrugineo cataphractum cortice tergum,
Et plexam lamnis caudam, fluctuque ſonantem,
Ilicet exangui trepidans expalluit ore,
Arrectæque horrore comæ. Tum lumina torſit
Reſpiciens hinc inde, fugæ via ſiqua pateret.
Verùm vbi cuncta ſuo cernit præcluſa timori
Effugia, heu miſer, in lacrymas effuſus inanes
Impleuit querulis omnem clamoribus ædem.
Ah, pater, aiebat, pater, ah! non tale putaui
Tale malum. Parce inſonti, miſerere precantis;
Neu miſerum durus laniandum dente voraci
Horribili committe feræ. Semel ah, pater, oro,
Tantùm parce ſemel. Si deteſtabile poſthac
Exciderit verbum, meritas non abnuo pœnas.

Talia

Talia perſtabat lacrymans, genibuſque volutus
Ore dabat ſine fine preces, ſine fine querelas.
Sed non idcirco lacrymis Ignatius vllis
Flectitur, & vultu ſimulans quã nõ habet iram:
Iam non, ſæue puer, non euitabilis iſta
Eſt tibi pernicies, inquit; ſenſimque propinquans
Attonito, & diuos nequicquam in vota vocanti
Iniicit appenſum per colla trementia Cancrum.
At miſer, vt gremio impoſtã per pectora peſtẽ
Perreptare videt, nigraſque aſſurgere chelas,
Clamorem immenſum tollit, totiſque tremiſcit
Artubus, & partes amens ſe verſat in omnes.
Nam quid agat? Retrahat ſeſe? Sed penſile ſẽper
Exitium ſequitur fugientem, & cominus vrget.
Hærentem tentet diuellere veſtibus hoſtem?
Non ea vis animo, nec tantum in pectore robur,
Audeat vt fatale manu contingere monſtrum.
Ergo interruptis ſingultibus ilia quaſſans
Quas nõ tũc lacrymas, quas nõ dedit ore querelas?
Heu! veniam ſuperos, veniam te, care, rogabat,
Ignati. Heu pereo! iam iam mala bellua fauces
Exerit. Incœptas rumpunt ſuſpiria voces.
Non tamen ingentes paſſus procedere curas
Vlteriùs pater, afflictis ſpes vnica rebus.
Namque vbi viſa ſatis par culpæ ludicra pœna,
Omnia ſpondentẽ, ſuperoſq; homineſq; precantẽ,
Egregiè edoctum dirâ formidine ſoluit.
I nunc, & miſero cancros immitte ſodali.

Huiuſmodi igitur puerilem pœnam eſſe decet. Terreat illa, non lædat; excutiat, non abijciat; mederi poſſit, non interimere; ſpecie magis, quàm re torqueat. Atque vt ad vos quoque orationem conuertam, Adoleſcentes; nouas, acres, acerbas excogitaui pœnas, quas ipſe quidem ſolus rideam; Veſtrûm nemo, me coram, irrideat. Noua etiam honoris monimenta, nouos magiſtratus, nouos gradus propono. Accipite. Celeberrimum illud, ac rancidum Capitolium aboleo penitùs. Capitolinos omnes exauctoro, dimitto. Areopagum. O nomen! O rem! Areopagum. Audiſtis? Areopagum, Athenienſi Areopago, ſi ſuperis placeat, auguſtiorem, iam nunc condo, erigo, inſtituo. Aureos illic caracteres, ampliſſimum affixum diadema breui ſpectabitis, vbi frequentior reipublicæ huius ſenatus adſtiterit. Areopagita quiſquis dici velit, venerando hoc dignum agnomine ſe præſtet. Leges per otium feram. Vobis verò, ignauiſſima capita, vobis ego locum deſignaui. Latomias; Latomias, inquam, illo in angulo veſtras parabo. Illis in Latomijs, quo malleo, quo ſcalpro tundendi ſitis; quid mali vobis Latomiæ portendant, ſcire velit nemo, aut, vbi velit, fari ipſe nolim.

AMOR

AMOR LABORIS.

DECLAMATIO

IN DESIDIOSOS ADOLESCENTES

DICTA

In eadem ſuprema Grammaticæ claſſe.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

STamus promiſſis. Fidem meam iamdudum ſponſione obligatam, conſilium eſt in præſenti exſoluere. Meminiſtis enim, Humaniſſimi P.P., quo die pauca quædam, vt meus eſt mos, apud vos de puerili pœna ex hoc loco diſſerui, me iam tum auditoribus meis, ſi ſtrenuè rem literariam geſſiſſent, ampliſſimos honores; ſin deſides, pigri, inertes forent, nouas, acres, acerbas pœnas denunciaſſe. Areopagum Athenis vſque in has oras aduectum, laborum metam; Latomias verò inertiæ ſupplicium deſignaueram. De Areopago actum eſt. Dolenter dico.

Actum eſt. Neque id mihi verti velim culpæ. Qui vnus altiſſimum dignitatis faſtigium proximè attigerat, importuno diſtinetur morbo. Cæteri longo nimiùm diſtant interuallo. Itaque, remenſo iterum pelago, Areopagus enauigauit in Græciam, anno fortaſſis proximo, ſi ſuperi annuent, non tamen antea, huc reuerſurus. Fuit olim, Patres, fuit tempus illud, cùm hæc præclara virtutis decora ad laboris amorem ſatis apta incitamenta iure credideram. Nunc temporis, mirum quantùm verſa res ſit. Mirum quantùm inertiæ, deſidiæque in hâc palæſtra licuerit. Relanguit diſcendi induſtria; reſtinctus eſt ille ardor animorum, cui ſumma quæq; pollicebar. Reſtat itaque, vt, quod alterum me facturum decreueram, de nouis in dies excogitandis pœnis, quibus vnicè deſidioſi adoleſcentes ad officium reuocari queunt, id in præſens præſtem. Nouum itaq; idq; acerbiſſimum ſupplicium profectò iſti mihi hodie perſoluent. Coëgi nempe vos huc, Humaniſs. P. P., vt iſtorum inueteratæ incuriæ ſocordiæque remedium vltimum, vtinam profuturum, ſeriam videlicet increpationem veſtro in conſpectu adhiberem. Aut enim (quod tamen vix ſperes) tacito oculorum veſtrorum conuicio excitati reſipiſcent; aut ſaltem coram grauiſſimo Senatu inuſtam inertiæ notam ægriùs inpoſterum ferent.

Quanto hucusque labore inſudauerim ingenijs quorundam ſubigendis, ac dedolandis, partim minis, partim promiſſis, monendo, hortando, caſtigando; quàm impigrè, quam gna-

uiter

uiter ſtrenuèq; in id dies noctesq; incubuerim, nemo veſtrûm ſibi facilè perſuadeat. Hinc tamen æſtimare vtcunque licebit. Solent enim Grammaticæ facultatis inſtitutores, auſteri licèt quammaximè atque aſſidui, interdum animi gratiâ aut progymnaſmate aliquo, aut ſolemni puerorum concertatione, interdum etiam ſcenâ in publicum productâ feriari aliquantulùm, & iugis aſſiduique magiſterij tædium ſubleuare. At ego improbiſſimum hunc docendi laborem pertinaci adeò, obfirmatoque animo arripui, vt nunquam, teſtor vos quotquot adeſtis Patres, nunquam hoc anno hiſce animi, ingenijque delicijs indulſerim. Atqui nemo neſcit, quantùm inſtaurandis viribus, & leuandæ moleſtiæ, iſta conducant. Certè artifices, etiam infimi, non ſemper idem vrgent opus. Sed & faber, vbi malleo ferrum domuit, inani interdum ictu ferit incudem, & feſſus arator incumbit ſtiuæ: Piſcatores quoque, ſubductis naſſis & retibus in ſiccum, maritimas oras ad veſpertinas auras legunt. Unus ego, cui laboris amor commendatiſſimus in primis & fuit, & eſſe debuit, nunquam ab hâc truſatili molâ, dictandi, explicandi, corrigendique ne latum quidem vnguem diſceſſi: Huius lapidiſecæ ſerræ manubrio perpetuò inhæſi: Ab huius plauſtri temone nunquam par illud boum laborioſiſſimum, patientiam videlicet, atque induſtriam abduxi. Nihil de genere ipſo laboris dico. Saltem nauta, vt ſemel vela explicuit, & ratem ſoluit, oſcitet licet ac dormiat in multam diem, illam, nemine cogente, iugi

curſu Aquilones ferunt. Molitor, vbi rotam expedijt, illa dies noctesque vertitur. Vtinam ſimile aliquod mihi contingeret. Vtinam & mei diſcipuli, ceu rotata horologia, elaterium aliquod in vertice aut occipitio gererent, quod ſero veſpere clauiculâ circumductum horis continuò biſsenis, manum ad ſcribendum, linguam ad recitandum, cæteraſque facultates ad munus ſuum compelleret. Itaque mihi perpetuò exercenda vox, diſrumpenda ilia, adhibendi tertio quoq; paſſu ſtimuli: vrgendum: inſtandum.. Ni faciam, illico redintegratur ſomnus, reditur ad ingenium, ſegnitie, oſcedine, torpedine victus iterum ac fatiſcens procumbit humi bos. Hæc paulò aſperiùs à me dicta ſunt, Adoleſcentes, vt monſtri huius teterrimi, quod deſidiam vocant, odium horroremque incutiam. Cuius vt imago altiùs animo inhæreat, propono vobis belluam in Americâ à Luſitanis repertam, cui ab re ipſa, indoleque nomen Pigritiæ indiderunt. Deſcriptiunculam, quam carmine effundere mens fuerat, è calamo prodire volentem retinui. Onus illud longè moleſtius ſuſcepi eandem ex integro, atque, vt aiunt, de verbo, ad verbum ex hiſtorico tranſcribendi. Itaque audite. Valde inuſitatâ & effigie, & naturâ eſt Animal, Cerigonum ferè magnitudine, ſed roſtro fœdiore ad aſpectum, & vnguibus ad digitorum ſimilitudinem prominentibus. Huic ex occipitio exiſtens coma ceruicem velat: Lento ventris adipe verrit humum, neque vnquam in pedes exſurgit. Denique tam tardè mouetur, vt quindecim ipſis diebus ad

lapi-

lapidis iactum continuo tractu vix prodeat. Victitat arborum folijs, & in earum cacuminibus degit plerunque, quarum in aſcenſu biduum circiter, tantundem in deſcenſu ponit. Neq; verò adhortationibus tantùm aut minis, ſed ne plagis quidem fuſtibusque beſtiam, vel tantillum de inſitâ ignauiâ, ac tarditate dimoueas. Hæc ille. Quis verò in hâc ignauiſſimâ belluâ nonnullorum ad viuum adumbrata ingenia non videat? Vos enimuerò fœdiſſimum monſtrum vniuerſo corporis, ac animi habitu refertis; vos, inquam, quos ſingulos digito poſſem innuere: eos ſcilicet, quibus in excitandis, cùm aſſiduis inſtiterim minis, vix obtinui, vt ab inferiori Palæſtra, quæ ad lapidis iactum certè hinc non diſtat, in hanc vſque ſuperiorem, biennio integro ægrè admodum reptando aſſurgerent. Obtinui tamen. Nunc verò longè deteriori ſumus conditione. Malum altiùs inſedit, radicesque egit. Quamobrem vrgeam modò licèt quantùm velim, plagas etiam, & fuſtes, ſi facto opus ſit, lateri impingam, tundam itidem, & contundam, ecquid emolumenti ſperem? Id vnum ſcilicet, vt ingenio ſuo tardos, artificio meo reddam tardiores. Quo fit, vt vix à riſu temperare mihi poſſim, ſi qui (quod ſæpe contingit) fauſtum mihi inſequenti anno ad amœniores Parnaſſi colles, iter auſpicantur. Per iocum, vt puto, iſta dicuntur. Cæterum præclarè ego mecum agi credam, ſi, poſt iuſtam alterius biennij moram in hâc eâdem claſſe, ad Humaniores literas, ad excelſa, videlicet

delicet Heliconis iuga, pigerrima quædam capita, vrgendo, incitando, cogendo, totis demum connixus viribus tandem compellam. Hæc ſi æquis accipitis auribus, adoleſcentes, ſi probra cutem non vellicant; ſi vos vitij huius, obſcuritas, triſtitia, pædor, & ſqualor minimè terret; at terreant ſupplicia. Dantes Aligherius vniuerſam Stygem, duce Virgilio, ſcrutatus, in primo inferni ambitu, ignauos ac deſides vidit. Genus pœnæ æquiſsimæ ex ipſo audite.

Queſti Sciaurati, che mai non fur viui,
Erano ignudi, e tormentati molto
Da Moſconi, e da Veſpe, che eran iui.

Verùm, vt dicam quod ſentio, hæc eadem pœna pigros adhuc viuentes exercet. Quid enim aliud, quàm moleſtiſſimos aculeos dixeris quotidiana illa probra, quibus aſſiduè ſtimulantur? Surge, age, deſidioſe, glutinoſe, viſcoſe. Excute te. Veternum diſcute. Scribe aliquid. Libera aliquando animum iſtum, reſinâ & pice inuolutum. Spinam dorſi humeroſque Palladi voue, quos illa aliquando incuruet, & prominenti illo literatorum monimento inſigniat. Hæc & ſexcenta huiuſmodi domi, foris, ſeriò, per iocum, ſemel, iterum iterumque, velis, nolis, in aures obtrudunt. Fas omnibus, vt cuique obuius fueris, in bonum reipublicæ te excitare, ſuccutere, laceſſere, caſtigare. Modò ad formicam induſtre animal conſultum mitteris, modò ad apum aluearia. Hic tibi in limacum republicâ præfecturam, hic in teſtudinum conuentu

pri-

primam cathedram, ille præturam in curiâ cimicum, ille in torpedinum cœtu magiſterium, alter cum ſomniculoſis gliribus, alter cum retrogradis cancris contubernium tibi deſignat: Quid his crabronum morſibus moleſtius? Quid iſthac viuendi ratione calamitoſius? Sentiunt enim hos ſtimulos miſeri vecordes, ſentiunt frigidum deſidiæ venenum commoueri. Vrgentur ad curſum vndique, vndique impelluntur. Hærent proinde mortalium infeliciſſimi; neſcij quò ſe vertant. Vellent vtique, atque ardenter vellent, quod tamen ipſum conſtantiſſimè nolunt. Minantur ſe facturos, quod toties experimento edocti præuident in ventos ceſſurum. Noui ego ex hoc hominum numero quendam, quem iure dixerim inertiæ Heroem. Nihil hoc iuuene tardius, nihil infelicius fingi poterat. Hic, ſi quando amicorum probris, atque dicterijs laceſſitus, manum ad ſcribendum admouet; vbi incompoſitam librorum congeriem diu multumque circumſpexit; vbi vnum aut alterum ex proximioribus in manus ſumpſit; vbi ſemel atramentum, ſeu potiùs atramenti cruſtam, mucore ſcilicet contracto in fungos obductam, calamo pertentauit; ſudore fluens, anhelusque reſupinat ſeſe, & laborioſo otio fatigatus vſitata deſidiæ ſolatia aucupatur. At quæ ſolatia? Nempe fricare occiput, vngues rodere, captare muſcas, (illas tamen obuias, & ad manum) cubiculi clauos, araneàrum telas, parietum foramina, atque ex ijs quænam rotunda, quænam an-

 gula-

gularia, ſcabra ne an læuia, contemplari. Præterea inimicitias neſcio quas gerebat cum aurorâ atque aurâ matutinâ, adeò vt orientem ſolem, non dicam feneſtris admittere, ſed ne intueri quidem poſſet. Clauſis oculis, obuolutoque capite in laneo quodam habitaculo deliteſcebat, donec illi nunciaretur Antelucanum & Matutam iampridem effugiſse. Hunc tamen, aiunt, ſub menſis proximè conuoluti exitum monito quodam diuinitus immiſſo ad laboris amorem excitatum, melioris inpoſterum frugis ſpem oſtendere. Faxint ſuperi, vt diuturno tandem conualeſcat morbo. Ego ſanè in vrticis mallem diſcumbere, quàm fœdâ iſtâ animi ſcabie aliquando corripi. Quanquam etiam in me veſtræ huius ignominiæ ſordes redundant. Nam quid eſſe putetis, quòd domi plerunque contìnear, quòd cubiculi mei parietibus incluſus tegar; &, ſi quando precibus victus prodire cogar, frequentiſſimas vias declinem? Nimirum conſcios hominum vultus fugio. Ipſi namque, ipſi met opifices è ſuis tabernis (adeò peruulgata eſt fama) me prætereuntem digito ſignant: Hic ille, inquiunt, Palladij cuiuſdam cœmeterij defunctorum ſtudiorum quæſtor libitinarius, vicatim emendicans expenſas funebres pro labore mortuo ſepeliendo, quem turpiſſima ignauia interfecit: Hic ille mortalium miſerrimus, cui diligentia, alacritas, æmulatio, feruor, & cætera omnia palæſtræ decora, pædore, ſitu, & frigore obierunt. Hæc illi. Quid vos, adoleſcentes? Nunquamne

reſi-

reſipiſcendi ſpes vlla affulgebit ? Adhucne in iſto cœno perſiſtere patiemini ? Non vos ſaltem orationis huius ſcutica excitabit ? Egregiam porrò fabulam dediſtis hodie; falſum enimuero epulum veſtris ſumptibus adornauimus. Hæc noſtræ palæſtræ decora aureo libro inſcribemus. Hæc monimenta gloriæ in noſtrum illud capitolium inferemus. Per vos, per veſtram fidem, per ſiquid gloriæ ſupereſt adhuc, prohibete hoc nefas, auertite hoc probrum, hoc dedecus. Recordamini, quàm mihi iucundus, quàm vobis glorioſus, omnibuſque ſpectabilis fuit triumphalis ille annus, cùm quatuor veſtro ex numero laureatos inter acclamantium voces, inter omnium ordinum plauſus ad erectum recens capitolium, munificentiſſimo triumpho eueximus. Recordamini tot victoriarum, atque illius præſertim, cum ex debellato hoſte, non vexillum mòdò, & imperatoria inſignia, ſed catenas quoque retulimus, quas adhuc, ad perenne gloriæ monumentum, repoſitas ſeruamus. Subeant præ cæteris memorabiles illæ literarijs faſtis dies, quarta Kalendas Aprilis, & nonæ eiuſdem menſis, cùm non bini, non terni, non duodeni, vt antea, ſed centum vtrinque delecti milites conflictum iniere. Quo plauſu, quâ pompâ victores è bello reduces excepi ? Quæ fuit illius diei lætitia ? Quod murmur ſuper eâ victoriâ per vniuerſam vrbem ? Quæ gratulationes Patrum ? Qui concurſus in illam triumphalem palæſtram ? Omnia erant prætexta lauris & floribus, omnibus in ſedi-

bus defixa vexilla, omnibus è parietibus pendentia hoſtium ſpolia, atque trophæa. Adeò verò pars victa pudore exarſerat, adeò viribus, animiſque conciderat, vt vultus veſtros ferre non poſſet. Nonnulli etiam audaciores reperti, qui cum calamo non poſſent, victores pugnis adorirentur. Fuerunt iſta quondam inuictiſſimæ huius palæſtræ decora. *Fuimus Troës, fuit Ilium & ingens gloria Dardanidum.* Conferte nunc, conferte hanc veſtram abiectiſſimam fortunam cum illo florentiſſimo ſtatu, hoc veternum cum illâ lætitiâ, hunc ſqualorem, hoc ſenium, cum illâ experrectiſſimâ iuuentute. O ſpes caducas! O fallaces cogitationes meas! Egone vnquam putaſſem eò rem venturam, vt coram his Patribus, olim Capitolij noſtri ſpectatoribus, & triumphi acclamatoribus, his, inquam, coram Patribus, vos ego lutulentiſſimæ deſidiæ reos accuſarem? Quiſquamne funeſtiſſimam hanc ſtudiorum noſtrorum cladem eo tempore prænunciaſſet? Nihil ſatis cautum mortalibus. Quoties vos monui, ne victoriarum illecebris deluſi quicquam de ſtudio belli remitteretis? Quoties Annibalis & Pompej exempla ante oculos poſui, quorum alter, orbe terrarum victorijs peragrato, inter theatri ſui laudes, applauſuſque conſenuit; alter inuictus alpibus, indomitus armis, Campaniæ delicijs, & tepentibus Baijs fractus emarcuit. Euenere, quæ præſcius metuebam. Quid reſtat, niſi vt quorum gloriam primùm ac victorias, poſt languorem, atque deſidiam eſtis imitati, eo-

rum

rum quoque acerbiſſimos exitus expectetis ? At nimis vrgeo. Commoueri videntur: pallent: ſilent: erubeſcunt. Bene eſt. Hoc erat in votis, Operæ pretium certè tuli. Noſco, P.P., meorum indolem, atque ingenia. Non ferent hanc ignominiam, non ferent. Macti itaque animis, Adoleſcentes. Non ita fracti ſumus, non ita prorſus penituſque concidimus, vt nulla iam ſint melioris fortunæ omina. Adeſtis plures ex meo illo Veteranorum exercitu, quos ex hoc loco intueor. Aderit breui, diuturno tandem recreatus morbo belliсoſiſſimus Imperator, ipſo etiam in nomine bellum gerens. Fideiuſſores ſponſoreſque habeo, quotquot hîc adſunt, Patres. Hi vos meliores in dies, & frugi euaſuros, vultu oculiſque pollicentur. Velitis, iubeatis PP. vt æmulam claſſem, indicto in craſtinam diem certamine, adoriamur, eâ lege vt victus imperator in victorum caſtris captiuus maneat? En vt animis exiliunt, vt emicant, vt oculis annuunt, vt buccinæ huius ſigno excitantur? Sed finis ſit. Nihil inpoſterum timeo. At ſi (quod ſuperi auertant) minùs profecero; ſi apud exactores annui ſtudij, ante tribunal Iudicum res malè ceſſerint; ſi denique in priſtinam inertiam relapſos viderim; Audite, quotquot adeſtis, Adoleſcentes; Audite P.P. quos memores teſtes volo: anno inſequenti in literarijs comitijs, non coram his mitiſſimis, atque humaniſſimis auditoribus, ſed coram ſexaginta vrbis Decurionibus, & Præfecto

anno-

annonæ, quorum eſt aduigilare ne quis publicas fruges otiosè conſumat, coram his, inquam, loco proluſionis, hanc eandem, quam audiſtis, hanc, inquam, ipſiſſimam orationculam, ne verbo quidem addito, aut dempto, expectate.

PROLUSIO IN CLASSE HVMANITATIS HABITA.

QUod maximè formidaueram, quod tacitis votis vt longè abeſſet optaueram, quod cane peiùs & angue oderam, Patres, in Helicoaem veni. En domunculas, & ſparſas cellulas, quas Muſæ habitant. En fontis illius fugacem ſurculum, quem Caballinum vocant. En denique montem illum biuerticem, quem vobis mihiq; adeundum etiam atque etiam conſidero. Hanc ſcilicet mihi gratiam retulit Aluarus, vt, poſt triennium apud ipſum integrâ fide, nullâque fraude exactum, nunc demum nil tale merentem veteri hoſpitio emiſerit, eiecerit, exturbauerit; atque ad has aſperrimas Parnaſſi radices reluctantem atque obnitentem compulerit. Quod tantum ſcelus in eius domo per hoſce annos admiſerim, participium ne aliquod imprudens læſerim, an reciproci

iura violauerim; num cuiquam ex eiuſdem familiâ ſeu nomini, ſeu generi, ſeu ordini iniurius fuerim, haud equidem ſcio. Id vnum ſcio, ſub Auguſti exitum mihi apertiſsimis verbis indictum, vt intra duos proximos menſes, ex vniuerſâ Emmanuelis Aluari ditione pedem efferrem. Additi præterea hodie nominatim, quos mecum educerem, exilij comites, atq; hi alienis omnes ſuffragijs deſignati; vt ne integrum quidem mihi fuerit eorum, quos potiſsimùm mallem, arbitratu meo delectum habere. Adſum itaque, vosque vnà mecum adeſtis, Adoleſcentes, exules ac profugi ex noſtris pagorum, caſtellorum, vrbium, oppidorum finibus. Nobis certè longè meliùs fuerat apud noſtram illam, tametſi faſtidioſam anum Grammaticam, degere, quàm ad hæc ſalebroſa loca deuenire. At, quando factum, infectum iam reddere non poſſumus; quando reditûs ad antiquas ſedes ſpes omnis intercidit, cogitandum nunc atq; inter nos decernendum quid facto opus ſit, quid conſilij in præſentiâ capiendum. Neque enim hîc ſub dio, in primo Parnaſsi aditu, inter vepres & ſenticeta iuuat diutiùs cunctari. Itaque in medium proferam quæ huius temporis ac loci ratio poſtulat, opportuna nimirum quædam monita, ne è grammaticorum prouinciâ eiecti, Muſarum inſuper finibus excludamur.

Et primò quidem in his initijs, in hâc rerum omnium inopiâ, omnisque ſupellectilis penuriâ, quod extremè indigentibus iura

ſinunt,

ſinunt, (pudet quidem) ſed, quandoquidem neceſſitate, legum omnium experte, vndique vrgemur & premimur (humanum dico) non quidem vt apertis latrocinijs in aliena inuadamus; ſed tamen ..... Intelligitis opinor; neque enim natura vngues tantummodo ad ſcalpendas aures, fricandamque ſcabiem homini dedit; ſed vt aliquando in ſupremâ egeſtate, & deſperatiſſimo rerum omnium ſubſidio ſibi quisque conſulat; quod licere omnino crediderim,

Vt, verbo furtum, *de Lugo, & ſumma Dianæ:*
Auctoresq; alij, ne quenquam ſcrupulus angat;
Dummodo, vt in caſu noſtro, *penuria rerum*
Vrgeat extrema, atque aliter ſuccurrere vitæ
Non poſſis; namq; hæc eſt conditio ſine qua non,
Vt præceptores morum de more loquuntur.

Quod tamen vt cautè ingenioſèque præſtetis, ne quis demum in Senatu Apollineo de repetundis reus agatur, aliquid præmonere oportet. Eſt in huius regionis Emporio inſtitor quidam ditiſſimus, qui omnigenas Parnaſſi merces, vltro citroque conuehit: animalia, flores, vrbes pictas, trochos, talos, veſtes, pyxides, eſculenta etiam & poculenta, quicquid demum humanæ vitæ vſibus ac delicijs inſeruit. Huius optimi ſenis (Gandutium vocant) non rarò imperiti quidam latrunculi officinam adoriuntur, in farinâ illâ tripudiant, quicquid ad vngues venit diripiunt, expilantque; ſed exitu planè infelici. Cùm enim merces illæ notiſſimæ ſint; vt patuit furtum, ſtatim præco ex altiſſimâ turri rem palàm

palàm denunciat. Sempronius, verbi gratiâ, Venetæ vrbis icunculam, quæ erat ex ſupellectile Petri Maffeij, ſurripuit. Caius placentam herbariam ex armariolo Vincentij Guiniſij clam ſuſtulit, atq; integram deuorauit. Itaque ne cui veſtrum turpiſsima huiuſmodi macula inhæreat, ab hac frequenti nimiùm officinâ manus abſtineat. Ex Virgilio quidem ac Cicerone, qui duo principes huius regionis viri latiſſimos fundos, vberrimasque ditiones poſſident, analecta quædam ſublegere, aliquid in rem veſtram trahere minori offenſionis periculo licebit. Verùm, re meliùs inſpectâ, nequis aliquando, quod facilè vſuueniret, vngues licentiùs quàm par eſt exerat, mutato conſilio, potiùs auctor ſum, vt artem aliquam, tametſi plebeiam atq; infimam, quisq; exerceat, atque inde lucellum qualecunque contrahat, quo in dies victitet, citra ſuſpicionem omnem piaculi. Neque id difficile admodum eſt. Quàm latè enim patet hæc vallis, diuerſis opificijs celeberrima eſt. Sunt qui verſus ferruminant, qui exacuunt, qui metiuntur. Sunt qui periodos quadrant, qui tornant, qui malè tornatas incudi reddunt. Alij intexunt, alij expoliunt, alij colorant, alij inaurant. Uobis accomodatius crediderim in præſentiâ centonibus conficiendis manus adijcere. Priſcorum hîc tantummodo reliquiæ conquirendæ, atque in opus conſuendæ. Artis labor in eo vnicè eſt, vt aptè commiſſuræ celentur; foras intima, intrò extima conuertantur.

Sed aliud eſt longè grauius, cui remedium

ali-

aliquod præſens excogitandum. Peregrini, vti videtis, atque hoſpites hîc ſumus, huius idiomatis, & morum regionis ignari prorſus. Grammatici ſolem ſolem, nauim nauim appellabamus. At hîc, niſi pro ſole

Titana, aut Phœbū, aut radijs Hyperiona cinctū,

& pro naui

Caſtellum ſulcans liquida aut Neptunia regna,

niſi, inquam, ita dixerimus, ridebunt accolæ, intelliget nemo. Quæ nos appellamus mendacia, iſti Ironias, Allegorias, & Tropos vocant. Solœciſmus, verbi gratia, fœdiſſimus vobis exciderit, halitu ſuo aptus contaminare aërem. Quod nos ſeriâ obiurgatione caſtigabamus, iſti ad riſum compoſiti, velut opobalſamum naribus admouendum, continuò excipient, & miris laudibus in Cœlum tollent. Interdum de cucurbitâ, ne integro quidem ſalis modio condiendâ, colloquentes audies. Quid tandem iſtæc erit cucurbita? Innocentiſſimum aliquem ex iſtis adoleſcentibus ſub hoc fruticis nomine deſignabunt. Vide ne te promiſſis ludant; neque enim pecuniam aut cœnam, aut quid ſimile; ſed bona quædam immobilia, videlicet *maria* & *montes* polliceri ſolent, quorum te deinde exactorem liberaliſſimè conſtituunt. Videtis, adoleſcentes, quantùm à noſtro illo ſimplici candidoque ſermone, Parnaſſium iſtud idioma diſtet? Nihil petitum ex triuio, nihil vſu tritum, nihil quod fuerit in ore vulgi, ſaliuâ populari infectum patitur. Caue igitur ne quando dixeris, vti nobis mos erat, *Petrus*

emit

emit equum . Franciſcus venit Mediolanum ; atque huiuſmodi plebeia & popularia noſtrorum oppidorum . Nullus hîc Petrus , nullus Franciſcus: ex familiâ Donati ſunt iſti homines, Priſciani contribules, pagorum & caſtellorum Aluari agricolæ atque oppidani . Dicendum itaq; *Scipio* aut *Aſdrubal emit equum,* ſeu potius *in res ſuas tranſtulit cornipedem. Alexander ille Perſarum domitor in Emporium Inſubriæ ſe contulit*: ite vos per ſingula . Difficilia atque ardua ſunt iſta, equidem fateor, ſed vſu paulatim emollientur. Magna eſt, adoleſcentes, vis conſuetudinis. Vſu aſſiduo equi ſeſſorum voces intelligunt ; Simioli quoque exercitatione diutinâ , vexilliferi & funambuli fiunt,

Cirratique canes, ad nutum & iuſſa magiſtri,
Deſiliunt gelidas in aquas, merſumque ſub vndis
Scrutantur nũmum, deprenſumq; ore, vocantem
Ad dominũ referunt; mox læti in gramine aprico
Ad ſolem excutiunt rorantes flumine villos .

Nihil denique eſt, quod diuturna aſſuetudo aliquando non præſtet.

Venio nunc ad omnium maximam, quam in arduo montis huius aſcenſu offenſuri ſitis, difficultatem. Attentos hîc volo, vbi rei ſumma vertitur. De argumentis, ſiue, vt aiunt, penſis domeſticis loquor (libet enim, omiſsâ tantiſper Allegoriâ , apertè & more noſtro grammatico ad captum loqui) Itaque id vnum operis ſuperioribus annis vobis incubuit , vt quæ ipſe vernaculo idiomate proponerem, ea vos latinis vocibus redderetis. At quota pars

iſta oneris, cui mox humeri ſupponendi? Etenim tornatam ſonoramque periodum, aut volubile initium poëmatis interdum excipietis, cui repentè in medio curſu, veluti cùm equi adducto fræno ex improuiſo ſiſtuntur, vel cùm alicui repentinâ apoplexi correpto loquela intercipitur; haud aliter currenti orationis aut carminis rotæ improuiſum *& cætera* ſubiungetur. Exemplum eſto in hâc auroræ deſcriptiunculâ.

Phoſphorus auroræ pulſauerat oſtia. Et cætera.
Dicetis excitaſſe illam è ſomno, monuiſſe ne vlteriùs differret diem; ſub iugo impatientes equos, Phœbi iugalibus aduentātibus adhinnire.

Quid facies, Labiene, tali in re ac tempore? Hic te, ſodes, volo, in gerundijs natę atque educate. Quid ais? vt te expedis? Quid conſilij capies in iſto improuiſo carminis deliquio? Proſequere.

Illa caput roſeo cingebat roſcida ſerto,
Atque hinc Leucothoë, & cætera.
Deſcribetis famulas nymphas, quæ verticem comunt, veſtes eois balſamis afflant.

Hîc tibi iterum hæret aqua. Nihil in dictionario, nihil in appendicibus pro ſupremâ, implendis hiſce lacunis opitulatur. Sed perge; adhuc nucleus ſupereſt tibi frangendus.

Vt tandem impulſo patuerunt cardine poſtes,
Comptaque puniceo ſedit Tithonia curru,
Protinus Heſperio nigrum caput æquore condit
Pallida nox. Et cætera.
Proſequimini, aliquos aduenientis auroræ effectus poëticè afferendo.

Huc

Huc vſque argumentum.

Atque hic in tenebris, & cæcâ in nocte relictus
Obuia quæque manu prenſas, & ſæpius omnes
Fruſtra pertentas aditus, ſi fortè latentes
Extrahere, inque auras liceat traducere verſus.

His igitur verſiculis extrahendis & capiundis ſuos laqueos & decipulas opportuno tempore inſtruemus. Sunt enim artes inſidiæque innumeræ, non ſecus ac genera aucupiorum, quibus irretiuntur. Etenim, vt nonnullas obiter innuam,

Proderit interdum ſummi laquearia tecti
Intentis luſtrare oculis; nam ſæpius illic
Carmina ſub clauis, interque foramina cæca
Murorum nidos ſtatuunt. Hinc, ordine longo
Suſpenſa, aut rimis abſtruſa, ad vota vocantis
In digitos veniunt è nigris lapſa tigillis.
Sæpe etiam calami latitant in vertice ſummo:
Vix tamen admotos propiùs minitabere morſus;
Illico deſilient in crenam cuſpidis imæ,
Quæ nigros latices ducit. Tu ſedulus vrge,
Atq; inſta: è calamo in chartā traducta videbis.
Quin & odorifero interdum cum puluere eburnis
Abdita pyxidulis habitant: Hinc ſæpe videmus,
Confeſtim ac nares ſubijt puluiſculus ille,
Præſertim Phœbo ſupplex ſi obuerteris ora;
Sternutamento ter fauſto erumpere verſus
Cum ſonitu, abſtruſos priùs, incluſosq; cerebro.
Frons quoq; torua iuuat rugis contracta, minæq;
Impatiensq; ira, ac demum conuitia iacta
In calamū & chartā, transuerſaque linea delens
Omnia, & à capite ad calcem conſciſſa papyrus.

Ubi verò ex inopiâ atq; egeſtate iſtâ miſerri-

mâ

mâ tandem, ſi ſuperis placuerit, aliquantulùm emerſerimus; tunc enimuerò academias inſtituemus, officinas videlicet, quibus conquiſitas per annum merces, atq; elaborata opificia propalam, vt in nundinis aſſolet, proponamus. Seriò tamen ignauos inertesq; moneo, ne putent in me vnum id oneris reijciendum, ſibi tantùm memoriæ mandanda quæ ipſe tradidero. O boni, qui hæc in animum inducitis, Non is ego ſum, qui meo labore alienam foueri deſidiam facilè patiar; neque id à vobis loci huius ac temporis ratio depoſcit, vt tantummodo celeris memoriæ, aptæque pronunciationis ſpecimen detis.

Hæc erant, quæ in præſens, vſq; à primo Parnaſſi aditu, præcauere operæ pretium duxi. Alia deinde in decurſu anni, vt res tulerint, admonebo. Interea horum locorum moribus atq; incolis paulatim in dies aſſueſcite. Res nouas prorſus, ac miras vobis hæc regio offeret. Illud certè in primis incredibile, vero tamen verius; Non modo hîc vulpes, equi, & lupi (vt priſcis temporibus fabulabantur) ſed & fluuij, & lucernæ, & ſcamna loquuntur. Etenim vt ab incolis audiui:

Haud procul hinc habitat nemorum inter deuia
virgo,
Dicere cui nomen prohibet lex improba metri.
Hæc, greſſus quacunq; tulit, (res mira) ſaliƈtis,
Collibus, & ripis dat vocem, & verba; loquaces
Eſſe iubet quercus, vocalia ſaxaq; reddit.

Eſt etiam alia ſiue Dryas, ſiue Hamadryas, ſeu potiùs ſaga, Apoſtrophen vocant; quæ turbam

bam longiſſimam, quanto pollet, ſpiritu inflans, non remotiſsimos modò, ſed etiam à ſexcentis annis mortuos alloquitur. Illo in ſpecu, vnde ſonus, & clamor perpetuò erumpit, Exclamatio latet; virgo plerunq; mœrens, atque ægra, quæ vocibus huiusmodi dolorem leuat. Matrona denique grauiſsima, & plerunque taciturna, quæ ſummo in vertice caliendrum gerit, Epiphonema eſt: vulgo etiam dicitur *Tantæmolis* à laudatiſsimo quodam eiuſdem carmine, *Tantæ molis erat Romanam condere gentem*. Solet nempe, longiori eloquio audito, ſuam proferre ſententiam. Quamobrem huic noſtræ proluſiunculæ, cuius gratiâ vos, Patres, hucusque moleſtiſsimè detinui, atque à curis grauioribus auocaui, acclamaret illa ſubridens more ſuo:

Tantæ molis erat nugis dare talibus aures.

PROLUSIO
DE LITERARIA AVARITIA
IN CLASSE HUMANITATIS HABITA.

QVoties mecum ipſe expendo, Auditores, quantùm annonæ literariæ indies ſingulos abliguriat hæc palæſtra; quoties, anno exacto, rationes ineo, vt frugi œconomi ſolent, atque hanc voraciſſimam Carybdim per otium autumni conſidero; vehementer admiror, quî fieri potuerit, vt perexiguis ijs redditibus, quos mihi tenuis admodum ingenij cenſus ſuppeditat, quadriennium huc vſque integrum tolerauerim. Nam, vt ſuperiores omittam annos, illum, qui proximè conuolutus eſt, quanti ſtetiſſe mihi arbitramini? Audite. Viginti ſupra centum themata Italica, Latina ferè totidem: epigrammata ſexaginta & octo: ænigmata decem: deſcriptiones vndeuiginti: elegiolas ſeptem (epiſtolas, academias, con-

ciones, ſchemata, & alia non numero) hæc omnia quotidianæ vnius anni expenſæ dilapidarunt. Patrimonium Varronis, & fundum mehercle Marci Tullij diſpendia iſta abſorberent, non modò inopes prouentus meos. Ingenium certè adeò macie confectum in me ſentio, vt nihil præter vappam, eiuſque exuuias relictum exiſtimem: vſque adeò hirudines iſtæ, mihi perpetuò affixæ, quidquid in eo fuerat medullæ & viui ſanguinis emulſerunt. Non ita locuſtarum nubes, quoties Apuliæ aruis inſedere, fruges, vites, arbuſtaque depaſcuntur; non ita bombyces recèns excluſi diu noctuque arrodunt ſubſtrata folia è moris decerpta, vt iſtæ ſcholaſticæ erucæ matutina, pomeridiana, & domeſtica themata, quidquid operoſo cultu calamus profert, quidquid miſer in dies ſero, quidquid meto, quidquid feſtis diebus congrego, eſu aſſiduo abſùmunt, glutiunt, decoquunt, populantur. Nihil tantæ edacitati ſubducere, nihil in craſtinum aſſeruare licet. Proh Deus immortalis! Quis vnquam paterfamiliâs eò anguſtiarum adducitur, vt, prandij aut cœnæ imminente horâ, cogitandum illi tum ſit de olere, de pulmento, de iuſculo & ſale? Id tamen mihi quotidie fere vſuuenit, ſimul ac importunum illud campani æris ſignum centum ferme conuiuas honorarios huc aduocat meis ſumptibus alendos, reficiendoſque. Fateor ingenuè, Patres; Cùm primùm ex ſolitudine Hieronymiani Parnaſsi, extra vrbis pomœrium poſiti, huc aduenißem, erat mihi ſupellex, vtenſilia, congeſtum

ſtumque peculium, non illud quidem hominis opulenti & prædiuitis, ſed quantum, parcè & frugi ſi viuerem, alendæ honeſtæ familiæ ſatis ſuperque credideram. Papè! paucis exactis menſibus, regionem omnem inuaſit fames, quâ neque Saguntini, neque Samaritani, neque obſeſsi à Tito Iudæi crudeliorem olim experti. Ad panem primò hordeaceum, deinde ad furfuraceum, poſtremò ad gramen, ad mures, ad ſoleas ventum eſt. Quæ dira vnquam Celæno peſsima Harpyiarum talia prædixiſſet! Quid memorem in hâc atroci eſurie, rerum mearum funeſtam cladem, & miſerrimum depeculatum? Fuerat mihi Nauis oneraria ſub tutelâ Deiparæ Virginis, quam multo ſtudio inſtruxeram atque adornaueram: Hanc præfatio importuniſsima, inſtar coorti turbinis, ipſo magiſtratûs mei initio abſorbuit, cuius tamen tabulata nonnulla hoc anno, ſi ſuperis placet, è naufragio ſubducam. Erat etiam inſignis Cancer, is ſcilicet, quem adoleſcentis collo ſuſpenderat Diuus Ignatius, puerili terriculo puerilem culpam caſtigaturus. Cancer hic ſummâ curâ & diligentiâ in abdito penu per biennium aſſeruatus, vbi primùm ſupremæ grammaticæ regimen iniui, ſolenne illius diei epulum auxit inter poſtrema fercula productus. Præterea fuerant mihi pulueruleuta quædam ac omnigena rudera, Danaûm reliquiæ. Hinc ego ſingula rimans, atque perſcrutans nonnihil literariæ annonæ per hos annos eduxi. Nunc verò adeò ſuſdeque verſa ſunt omnia, vt vltra quicquam in

rem meam erui poſſe deſperem. Itaque huc vſque vixi, non ſordidè quidem (nam, Deo auſpice, nihil vitæ neceſſarium defuit) ſed neque profectò ſplendidè; ægrè certè ærumnoſeque. Nihil tamen per incuriam perire paſſus ſum: nihil prodigè, quod ego meminerim, ad pompam & luxum proieci: nullum ferculum non bis ſaltem in menſam rediijt: nullam venalem veſtem expoſui, cuius modò pars extima, modò pars intima, verſâ vice, non viderit ſolem. Atqui hunc ſaltem annum, ſi non otioſum, at non vſquequaque incommodum, curarum certè plurimarum expertem mihi pollicebar, quòd laboribus anteactis frui, & parto viuere aliquatenus arbitrabar. Videte, calamitoſo homini, quem ſemel fortuna deiecerit, vt peſsima quæque ingruant. Habeo ſuperſtites in his infelicibus ſcamnis quinquaginta fere aures veteranas, teſtes bene memores, quas nequicquam abs me diuellere mutatione palæſtræ ſum aggreſſus. Harum itaque aurium ſinus hiatuſque mihi moleſtiſſimos nouis carminibus, nouis periodis, nouis ex integro ſcriptionibus implere cogor. Interea tria iuſta volumina, in quibus tum ſolutæ tum ſtrictæ orationis argumenta rite iam digeſſeram, labor anni, deliciæ, & facultatulæ meæ, erudiendo abaco cellulæ meæ aſſeruantur, nec enim ex iis ſperem tellure defoſsis, & fimo opertis, irrigatiſque, vt quondam regis Midæ tonſori, vocales inde arundines prodituras.

Inſere nunc, Melibœe, pyros, pone ordine vites.

Scabiem potiùs & tuſſim in hoc gymnaſio relictam mallem, quàm.....

Sed nimiùm multa de nugis. Serium aliquid, Patres, expectatis. Dabo, neque longè petitum ab hâc ipsâ querimoniâ, quam audiſtis. At credite, inter maximè ſeria negotium iſtud mihi eſſe, quod vobis viſus ſum per iocum efferre.

Aliquis fortaſse veſtrûm tacitè exprobrauerit mihi nimiùm tenacem ac timidam in literis auaritiam. Fateor. Aio tamen hanc auaritiam apprimè vtilem & neceſſariam non minùs vitæ quàm literis fore. Quantò enim meliùs literariæ Reipublicæ conſultum foret, quantò compendioſior eſſet facultas quæque, ſi literatos auariſſimos habuiſſet, qui nil de amplificandâ voluminum mole aut copiâ ſoliciti, nihil ſcriptum tranſcribere, nihil coctum recoquere, nihil ex chartâ in papyrum traducere voluiſſent. Exigua fortaſſe bibliotheca mundum vniuerſum literarium complecteretur. Ex hâc tenacitate nimirum aurea illa breuitas manat, quam cuncti laudant, nulli conſequuntur præter auaros. Breuitatis porrò hæc prima laus, vt rebus malis, ſi non faſtidium, ſaltem nauſeam demat; optima verò meliora adhuc reddat. Ouidij virtutibus auaritiam admiſce, nihil ex eius poëſi carpere liuor poſſit. Hanc adime Virgilio, voluptatem omnem & charites eius diuino poëmati ſenties deeſſe. Huius præclaræ auaritiæ, quæ & quandoque labori parcere, & rebus ſuis opportunè vti ſciat, egregium enimuerò ſpe-

cimen dedit idem Virgilius in duabus Stygis deſcriptionibus, quarum alteram habet Georgicorum quarto, alteram Æneidos ſexto. Georgicorum quarto, vbi Orpheum inferos adeuntem deſcribit, hæc habet.

Vmbræ ibant tenues, ſimulacraque luce carentũ.
Quàm multa in ſyluis auium ſe millia condunt,
Veſper vbi, aut hybernus agit de mõtibus imber,
Matres atque viri, defunctaque corpora vitâ
Magnanimûm heroum, pueri, innuptæq; puellæ,
Impoſitique rogis iuuenes ante ora parentum.

En iterum Æneidos ſexto eiuſdem Stygis deſcriptio. Attendite.

Huc omnis turba ad ripas effuſa ruebat,
Matres atque viri, defunctaque corpora vitâ
Magnanimûm heroum, pueri, innuptæq; puellæ,
Impoſitique rogis iuuenes ante ora parentum.
Quàm multa in Syluis, autumni frigore primo
Lapſa cadunt folia &c.

Quatuor fere carmina ex integro tranſcripta audiſtis. Cur hoc? niſi quòd ingenij expenſis iam elaborata, & limata fuerant; neque è re ſuâ exiſtimauit prudens & frugalis œconomus laborioſis ſumptibus alia de nouo recudere. Neque enim opus poëſeos in eo ſitum putetis, adoleſcentes, vt quis apicem calami per aream papyri manu ducat; neque exiſtimetis vnà cum atramento carmina etiam fluere. Non itaque erubuit Princeps vatum ſua iterum lectoribus appónere; neque ſemel id fecit. Cur igitur timeam ego meos pariter verſiculos, mea themata auditoribus meis iterum ingerere, quò firmiùs adhæreſcant.

At

At iſta (inquit aliquis) inſignis pigritia eſt. At iſta (repono ego) hominis ratione vtentis æquiſſima eſt parſimonia. Aranearum eſt telam nouam conficere, vbi quis veterem diſiecerit, quippe quæ non illis ex cerebro, ſed ex aluo deducitur. At ego amens planè ſim, ſi quod poſſum reſuere & paucis reficere, ex integro ordiri velim. Verùm, ne ab inſtituto diſcedam, vultis, Auditores, vt huius commendatiſſimæ auaritiæ luculentiſſimum aliud exemplum proferam, quod omnes approbaturi ſitis veſtris encomijs atque ſuffragijs? Sic puto. Attentis animis accipite. Ecquid, obſecro vos, ex hâc noſtrâ proluſiunculâ hucuſque laude dignum exiſtimatis? Expendite omnia: nihil prorſus, omnino nihil. At laudem certè plauſumque referet poſtremum iſtud, quod addam, & paucis expediam, vt auarum decet: quod quidem in exemplum vobis propono ad commendationem literariæ auaritiæ. Ecquid porrò iſtud? Epiphonema omnium pulcherrimum, cui honorificè aſſurgere omnes iubeo; videlicet: Finis.

Digitized by Google

DISSERTATIO IN INSTAVRATIONE STVDIORVM IN TEMPLO HABITA.

QVI de eloquentiâ diſſerunt, vt plerunque ſolent, qui ex hoc loco annum literarium aperiunt, illud tantummodo eloquentiæ genus attingere videntur, quod olim antiquo in foro, & militaribus in concionibus vſurpatum, nunc ferè totum ad ſacros oratores eſt deuolutum. Quo fit vt, cùm huiuſmodi actio coram multitudine paucorum ſit, minùs interea afficiantur adoleſcentes erga ea ſtudia, quorum ſibi vſum in reliquâ ætate & minimè neceſſarium & parùm vtilem futurum intelligunt: cùm tamen alios planè vſus longè præſtantiores frequentioreſque habeat ars dicendi, de quibus pauca dicere, mox aggrediar. Illud inſuper animaduerti,

uerti, quoties de facultate oratoriâ ſermo inſtituitur, vt plurimùm de eius neceſſitate, vtilitate & laudibus panegyrim inſtitui; nihil fere vnquam attingi de pernicie, grauiſſimiſque, atque innumeris malis cauendis, in quæ ars iſta ad vtilitatem mortalium nata, plerunque vitio hominum trahitur. De his etiam agendum hodie, vt qui nobis informandi ſunt ad eloquentiam iuuenes ſimul diſcant & quatenus eâ vti poſſint, & quatenus abuti non debeant. Itaque, vt videtis, de vſu ciuilis, atque, vt ita dicam, quotidianæ eloquentiæ, & de eiuſdem abuſu in præſentiâ diſſertationem potiùs quàm orationem pollicitus ſum. Quæ duo cùm & maximè neceſſaria reipublicæ ſemper exiſtimauerim, & de vtroque raro aut fere nunquam ex hoc loco dictum putem, attentos volo, ſimulque veniam poſco, ſi minùs ornatè, atque ad pompam, dummodo rem conficiam, perorauero.

Et de vſu quidem occurrit primò eloquentia illa, quæ inter probos, ſapienteſque viros in conſilijs publicis & præcipuis vrbium magiſtratibus locum habet. Quâ tamen in re, cùm me diutiùs immorari, ætatis & conſuetudinis meæ ratio minimè ferat, illud tantummodo innuam, quod à viris grauiſſimis aliquando audiui; nimirum hîc, ſi vnquam aliàs, veriſſimum comprobari effatum illud, primum oratoris artificium eſſe, vt ſine artificio dicere videatur. In huiuſmodi ſiquidem congreſſibus, vbi coram principibus reipublicæ viris res maximæ in controuerſiâ verſan-

ſan-

ſantur, nihil deterius, nihil ineptius ad perſuadendum, quàm oratio compta, domo allata, quæ ſuſpicionem artis vel minimam præſeferat, caloremque & motus habeat, ad quandam ingenij pompam admirationemque excitandam, iam antea præparatos. Iſta quidem incautæ imperitæque multitudini fucum faciunt, quæ inſtar cymbulæ hac illac, quolibet flante vento, conuertitur. Inter ſapientes verò velle ſapere, res eſt indignationi primùm, deinde contemptui, & riſui obnoxia. Quod quidem accidiſſe fertur in congreſſu, ſi bene memini, Athenienſium. Cùm enim ad molitionem cuiuſdam ardui operis duo præclari nominis artifices acciti coram Patribus, aſtitiſſent, eorumque alter, magnificis promiſſis, multa copioſè ornatèque dixiſſet; rogatus alter ſententiam ſuam: At verò, inquit, quæcunque promiſit iſte, ego faciam. Atque huic aſſenſus eſt vniuerſus ordo, quod ipsâ dicendi ſobrietate ac moderatione fidem præ altero ſibi conciliaſſet.

Eſt etiam vſus eloquentiæ ſingularis in conſcribendis epiſtolis. Verùm, cùm de artificio iſto clariſſimi, doctiſſimique viri præcepta conſcripſerint, atque in eo genere orationis exempla quamplurima extent, eaque lucu-lentiſsima, & multiplici idiomate, nihil eſt, quò diutiùs vos morer.

Tertium genus ſupereſt, de quo nemo huc vſque præcepit quicquam, nemo artem vllam confecit, aut methodum tradidit: nihil autem eſt in omni dicendi arte tum ad negotia

gotia quæuis perficienda, tum ad mortalium conuictum & ſocietatem ſeruandam magis vtile ac neceſſarium. Eum videlicet eloquentiæ ciuilis vſum intelligo, qui non in foro neque in curiâ verſatur; ſed intra priuatos parietes in quotidianis domeſticiſque colloquijs, quibus ſæpius in diem oratoris quiſque munere fungitur, perſuadendo, deprecando, abſterrendo, monendo, conſolando, cæteraque omnia præſtando, quæ oratoriâ facultate continentur. Neque verò, quòd hîc ſolitariâ quadam actione, vno oratore, vno itidem aut altero tantùm auditore res agitur, minori idcirco opus eſt arte. Verùm duo tantùm præcipi poſſe exiſtimo; alterum, vt orator nihil impium, nihil iniquum ſibi proponat, de quo paulò infra dicam; alterum, vt eorum hominum, quibuscum agit, mores, indolem, atque ingenium perſpectiſsimum habeat. Sunt enim primò ambitioſi quidam & perſpicaces, quibus quò validiores euidentioreſque rationes inculcaueris, eò pertinaciores in proprio ſenſu ac peruicaciores efficias; ob id præcipuè, quòd vim ſibi inferri ſentiant, ægrèque ferant rationes ſibi oſtendi, quas ipſi minimè inuenerint. Cum huiuſmodi hominibus ita diſsimulatè agendum, ita affectanda inſcitia, vt ipſimet ingenio ſuo in ea argumenta incurrant, quæ tu videaris ignoraſſe, atque ab ijs tunc primùm diſcere, quò fiet, vt eas rationes, quarum occultè tantùm quædam ſemina iacta fuerint, illi adoptent tanquam ſuas, atque ideò proniori ad aſſenſum animo arripiant.

Sunt

Sunt alij rudes atque hebetes, qui ratiocinio nullo moueri poſſunt, quippe qui præ craſſitie ingenij vim argumentorum minimè ſentiant. Hos niſi beſtiarum more clamoribus, vultu, oculis, aut obiectâ aliquâ luculentâ imagine traxeris, nihil vnquam obtineas: Quâ arte vſum ferunt Menenium illum Agrippam, qui ad ſedandam multitudinem, fabellam expoſuit de coniuratione membrorum humani corporis in ventrem deſidioſum atque inertem, quo apologo plebem aduerſùs Patritios concitatam in officio continuit. Sunt alij timidi atque imbecilles, quos iniecto terrore ſtatim permoueas. Orator ſacer, cùm à Matronâ nobili chyrographum alienæ famæ pernicioſiſſimum nullis precibus impetraſſet: Retine, inquit, apud te, vt libuerit. Hæc chartula nimirum egregiè vſui erit ſuccendendæ lignorum ſtrui, cuius flammæ æternùm deſtinabere. Non tulit fœmina, ceteroquin pertinax, dictum minax; quodque adhibitæ antea machinæ non potuerunt, pauor, & metus extorſit. Valent etiam apud quamplurimos opportuni ſales, & ioci, qui interdum prolixæ orationis pondus habent. Eſt enim illis, vt aiunt Rhetores, vis neſcioquæ imperioſiſſima, & cui repugnari minimè poſſit. Animum ab intentione rerum ſæpe auertunt: aliquando etiam reficiunt, & à ſatietate ac fatigatione renouant; rerum denique maximarum momenta vertunt, cùm odium iramque frequentiſſimè frangant. Quâ de re teſtimonium egregium extat in ſacris annalibus.

bus. Cùm enim Peruſini, legatione miſsâ ad Vrbanum quintum, arduum neſcioquid ſibi concedi poſtularent; orator, Reipublicæ nomine, longiſſimam orationem exorſus eſt, cuius tædio Pontifex victus, cùm mirum in modum diſtorqueretur, vnus è legatis, ex eo faſtidio infelicem exitum cauſæ ominatus, remedium aliquod afferre ſecum animo ſtatuit. Itaque oratione tandem aliquando abſolutâ, cùm Pontifex hoc ipſo auſterior poſtulata negaret, atque in ſuâ opinione conſiſteret: At enim, Sanctiſſime Pater, inquit ille: Hoc inſuper in Reipublicæ noſtræ mandatis habemus, vt, ſi ſemel audita oratio nihil profecerit, eandem tibi ex integro orator repetat, vt ſaltem iteratis precibus moueare. Quare iterum recita. Quo ioco delinitus Pontifex, non modò quod poſcebant, ſed quidquid inſuper vellent vtrâque manu daturum ſe pollicitus eſt, modò ne iterum illa crambe auribus ingereretur.

Innumeræ prĉterea ſunt hominum ingenijs formæ, non minores fortaſſe quàm corporum, quibus tamen omnibus, prout vſus tulerit, formam ipſe dicendi accommodet orator, neceſſe eſt. Aliter enim perſuadendus eſt, qui recenti adhuc vehementis doloris vel cupiditatis vulnere leuem etiam medentis tactum reformidet; aliter, qui præiudicio tantùm præoccupatus accedat; aliter qui & ſapiens apprimè ſit, & artis optimè conſcius, quâ petatur. Sed longum eſſet ire per ſingula. Illud tantùm addo, in tantâ rerum & ingenio-

niorum varietate, nihil tamen eſſe tam arduum, nihil tam aſperum, nihil tot difficultatibus obſitum, quod quidem egregius orator, ſi cautè ſe circumagere, ſi declinare offenſiones, ſi opportunos aditus & tempora captare nouerit, artis ſuæ magiſterio non poſſit euincere.

Hæc, atque alia plurima, quæ de vſu eloquentiæ afferri poſſunt, videtis, auditores, niſi cum ſummâ probitate ac pietate oratoris coniuncta ſint, quot detrimenta, quot vulnera (quæ erat pars altera orationis) tum rei priuatæ tum publicæ ſint allatura. Pauca, ſi lubet, enumeremus. Improbi itaque eloquentis primum facinus ac ſcelus eſt, veritatem nebulis infuſcare; ita vt, ſi non perpetuò (nam denique luce ſuâ ſe prodit) ſaltem diu oppreſſa lateat ac ſileat. Continuò labes iſta in hiſtoriam manat; atque illam rerum præteritarum cuſtodem, normam temporum, & magiſtram poſteritatis inficit, eique fidem omnem adimit, aut certè magnâ ex parte corrumpit. Verùm neque neceſſe eſt ad hanc corruptelam palàm impudenterque mentiri; ſiquidem diſſimulando, reticendo, excuſando, atque, vbi veritas cupiditati fauet, tunc integrè fideliterque narrando, facillimum eſt rhetori verſipelli, quamcunque velit faciem, coloremque, ac perſonam rebus geſtis accommodare; vt penes ſtatuarium eſt, demptis relictiſque ex marmore, quæ ex arte nouerit, humanum aut equinum caput exculpere.

Illud

Illud verò quantò etiam pernicioſius, quod hanc corruptricem, & inimicam veritatis eloquentiam, etiam in Philoſophiam, atque in ipſam rerum Diuinarum ſcientiam diſerti homines intulere. Nam vitam nullam animantibus ineſſe, fortuito concurſu omnia gigni, nec aliud eſſe rerum iſtarum vniuerſitatem, quàm ſpatium quoddam diſſectum in taxillos innumeros, deinde diuerſimode turbinatum, vt ex eâ rotatione atque attritu ſidera, planetæ, terrarumque orbis extiterint; an non hæc omnia, & ſexcenta alia id genus elegantiſſimis calamis captioſa eloquentia inuexit? Quid ſacras verò ſcientias memorem? Audeo dicere lethalius religioni vulnus intuliſſe Eraſmum, & Molinæum, ceteraſque illius temporis rhetoricas peſtes, quàm ipſi tentauerint primi machinatores hæreſeos, atrociſſimi ſceleris anteſignani. Hoc iampridem ab ipſo Chriſtianæ fidei exordio animaduerterunt Patres, hæreticorum ſcilicet id eſſe proprium, vt fœda & indecora dogmata ſua verborum ornatu ac nitore veſtiant; è contrario verò Catholicam Eccleſiam nudâ & ſimplici veritate eſſe contentam.

Excludor anguſtiâ temporis, quo minùs cæteros improbi oratoris abuſus perſequar, quoties vel ad priuatam ſui vtilitatem, vel ad explendam iram, vel ad excutiendum dominatûs iugum malignam eloquentiam conuertit. Nam quid de actione forenſi dicam? Quæ cauſa adeò profligata eſt, quam ſi diſertus, idemque iniquus orator eloquentiâ ſuâ

tra-

tractare velit, non poſſit incautos iudices ad ſe trahere, atque ad ſuffragia contra omnes ius cogere? Quid dicam de adornandis calumnijs? quid de maledicentiâ? De hâc porrò, vtpote quæ familiarium ſermonum condimentum frequentiſſimum eſt, pauca attingam.

Et primò maledicentia quædam eſt rudis, & tyruncula, nondum exercitata, nondum expolita, quę ſcilicet craſſis apertiſque mendacijs, ipſo oculorum viſu mox refellendis, alicuius famę inſidiatur. Sed iſta plus clamoris habet, quàm vulneris. Illa profectò perniciofior, quę ſobria, eruditior, & caſtigatior ne ſcintillulam quidem iracundię, nec veneni latentis halitum vel tenuiſſimum prefert; facie blandâ, atque, vbi res tulerit, falſi amoris & beneuolentię plenâ. Hęc prauum aliquid (quid enim faciliùs?) in vitâ alicuius certò ſubodorata, aut nacta, non mulierculaum more plebeijs contumelijs inſultat; ſed illud vnum curat, vt rem frigido ore augeat, incendatque, aptiſſimâque incuriâ fidem faciat. Illa verò atrociſsima, & magiſterij apicem planè adepta, quę miſerorum famę palàm proſciſſę & dilaniatę miſerationem omnem adimere ſtudet. Quamobrem in eo tota eſt, vt detecta alicuius vitia publicæ irriſioni exponat: neque ſepeliri illud cadauer famę patitur, ſed nigro ſale conditum gaudet verſari quotidie ante oculos, ante ora omnium, ſpectaculum miſerrimę voluptatis.

Proh Superi immortales! Quam ſatiùs eſſet

carere

carere omni arte eloquentię, quàm eadem in mutuam perniciem tam noxiè frequenterque abuti? Quanquam nullâ arte, vt eſt apud neſcio quem veterem pręceptorem, nullius, inquam, artis ſtudio eget maledicentia; Neſcioquâ malignitate nobis ingenitâ naſcimur rhetores, vt niſi quis perpetuò effręnem iſtam cupiditatem coërceat, perexiguo tempore & breuiſſimâ exercitatione nocendi artifex peritiſſimus euadat. Nouerat iſta egregius ille inſtitutor Fabius Quintilianus: quamobrem in ipſo aditu inſtitutionum ſuarum illud in primis exigit, vt orator ſit ſpectatę indolis, ac probitatis. Quid enim, vt inquit ille, nocentius eloquentiâ illâ, quę pœnis eripiat ſceleſtos; cuius fraude damnentur interim boni, conſilia ducantur in peius, nec ſeditiones modò, turbęque populares, ſed bella etiam inexpiabilia excitentur? Deinde affert exempla Grecorum, Romanorumque, & enumerat, qui perniciosâ non ſingulis tantùm, ſed rebus etiam publicis vſi eloquentiâ turbauerint ciuitatum ſtatus, vel euerterint: eòque & Lacædemoniorum ciuitate expulſam, & Athenis quoque, vbi actor mouere affectus vetabatur, velut reciſam dicendi poteſtatem. Contra verò quid Reipublicę probo ac ſapiente oratore contingere felicius poteſt, qui ęquitatem in iudicijs, innocentiam aduersùs calumniatores; oppreſſos aduersùs potentiores interritus tueatur? quem nec cupiditas corrumpat, nec gratia auertat, nec metus frangat: qui leges incolumes ſeruari velit, ęrum-

nis

nis priuatis ac publicis mederi poſſit, ſolari afflictos, corruptos mores obiurgare, ſcelera abſterrere. Quid ſi deinde huic æquitati naturæ atque indolis Chriſtianam pietatem adiunxeris? Quid ſi huic inſuper canities ſenectutis, ſplendor natalium, auctoritas magiſtratûs acceſſerit? Hunc virum quis non Diuinâ quadam beneuolentiâ & Superûm dono conceſſum Patriæ exiſtimabit? Hic ille erit diſcordiarum omnium arbiter, & conciliator; pupillorum, derelictorumque tutor ac parens; pauperum atque ærumnoſorum omnium commune perfugium. Huius fores perpetuo acceſſu gentium obſeſſæ, refertæ aulæ, plena atria. Huic commiſſæ prouinciæ, mandatæ legationes, innixa reſpublica. Hunc denique cumulatiſſimi, ſanctiſſimique ciuis officio functum atque è viuis ereptum, hunc, inquam, lugebit patria lacrymis veris: Huius funus, huius tumulum, huius nomen, perpetuis laudibus ac præconijs poſteritas proſequetur. Poſſem eiuſmodi enumerare quamplurimos, quos Patria hæc noſtra ſingulis ætatibus tulit: poſſem etiam recenſere viuentes, atque ex hoc loco indicare; ſed longiùs orationem proueherem, quàm deſtinaui.

Ad hoc dignitatis culmen, ad hoc gloriæ faſtigium enitendum eſt, adoleſcentes. Quod ne putetis vos aſſecuturos bienni ſtudio Rhetoricæ, ætate adhuc acerbâ, & moribus nondum formatis. Rudimenta iſta ſunt, quibus accedat oportet iugis & continua mentis intentio, iuris gentium cognitio, omnigenæ hiſtoriæ

ſtoriæ lectio ; ſolidæque Philoſophiæ informatio. Alia inſuper (veniam date) inſtituenda domi educatio. Iſte ornatus muliebris veſtium auro argentoque fulgentium ; otia villarum crebra, ac diuturna; blanditię, myrothecia, cincinni, maternęque illę commiſerationes pauoreſque, ne puer ſtudio palleſcat, ne miſer gracileſcat, ne febriculam contrahat; huius denique ęui inſtitutio à moribus antiquis atque auorum noſtrorum auſteritate prorſus degener, atque aliena, quî poſſit adoleſcentum ingenia ad frugem ſapientię perducere. Deſerenda deinde ad tempus aliquod Patria, perluſtrandę nationes exterę, cognoſcendi mores populorum, regimina vrbium varia, atque indoles gentium. Hęc animum erudiunt, hęc facundiam exerunt, hęc linguam expediunt, hęc artis pręcepta inſtillant, quę non ſatis otioſa in ſcholis exercitatio tradiderit: Hęc denique vos ſenſim ad illam eloquentiam ciuilem perducent, cuius multiplicem vſum qui rectè tenuerit, abuſumque omnem, ſeruatâ morum integritate, vitauerit, optimus & pręſtantiſſimus ciuis efficiatur.

FINIS.

MAS 2014285

Digitized by Google